



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 7. De obligationibus Conjugum de futuro

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

conjugale cum altero aut altera concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in sacramento autem ut Conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur.

Articulus Septimus.

De obligationibus Conjugum de futuro.

1. **O**bligatio est: intentio recta: quæ juxta fines matrimonij in tribus consistit. Nimirum: ut quis Matrimonium contrahat, motivo Conjugalis & individue societatis, ordinatæ ad propagationem prolis, remedium vincendæ libidinis, mutui auxiliij & consolationis, hi enim sunt fines matrimonium rectificantes.

2. Obligatio est: discreta Electio: de qua *Prov. 19. Domus* (inquit sapiens) *& divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie uxor prudens.* Ex quo infertur, non minorem requiri vigilantiam in uxore eligenda, quam in divitijs comparandis, quia cum uxor sit donum Dei, precibus ac consultationibus piis requirenda est. Quod

clare docet horribilis ista sententia. S. Chrysof: homil: 1. in c. 1. Matthæi. Qui (inquit) secundum Deum accipit uxorem à Deo provisam, in virtute generat filios: qui autem accipiunt uxores ex provisione Diaboli, id est non Religionis intuitu, nec fideles in infirmitate generant filios, nec prævalentes unquam fortes, nisi in malo.

3. Obligatio est: fidelitas sincera: quæ consistit in sponsalibus, contractibus matrimoniorum, fidei & casta conversatione desponsandorum, tenentur enim in his omnibus servare fidelitatem, illis actionibus ex natura rei & legis annexam.

4. Est præparatio congrua animæ, & sacrarum caeremoniarum observantia, quæ obligatio. Patet ex Concil: Trident: sess: 24. de Reform: Matrim: cap. 3. Postremo (ait) S. Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahunt vel saltem triduo ante Matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur & ad SS. Eucharistie sacramentum pie accedant: Si qua provincia alijs ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & Cæremonijs hac in re utantur.

ead omnino retineri S. Synodus vehementer optat.

Articulus Octavus.

De obligationibus Matrimonium concomitantibus.

Obligatio est: ut sint liberi ab omni impedimento, tam dirimente quam impediante. 2. Obligatio est: ut in copulatione adsit Parochus & ad minus duo testes. 3. Denique obligatio est: ut adsit verus mutuus consensus, signis externis legitime utrimque datus.

Articulus Nonus.

De obligationibus Matrimonium consequentibus.

Obligatio est: debiti Conjugalis redditio: cujus obligatio tanta est, ut absque mortali peccato non possit alter alteri negare, nisi justa causa excuset. Fundatur vero in contractu Justitiæ, quia ut ait Apostol: ad Corinth. 7. *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet,*